


lita latera habet æqualia atque oppositos angulos æquales, idem tamen nec rectis angulis nec æquis lateribus continetur. 34 Præter has autem omnes, quadrilateræ figuræ, helmuariphe nominantur.

35 Æquidistantes lineæ, sunt quæ in eadem superficie collocatæ, atq; in alterutram partem protractæ non conueniunt, etiam si in infinitum protrahantur.

Secundum, Petitiones.

1 A quolibet puncto in quemlibet punctum, rectam lineam ducere: atq; lineam definitam, in continuum rectumq; quantumlibet protrahere.



2 Super centrum quodlibet, quantumlibet occupando spatium, circulum designare. 3 Omnes rectos

angulos, sibi inuicem esse æquales. 4 Si linea recta super duas lineas rectas ceciderit, duoq; anguli ex una parte duobus rectis angulis minores fuerint, istas duas lineas in eandem partem protractas: proculdubio coniunctum iri. 5 Duas lineas rectas, superficiem nullam concludere.

Tertium Communes animi conceptiones.

1 Quæ uni & eidem sunt æqualia, & sibi inuicem sunt æqualia. 2 Et si æqualibus æqualia addantur, tota quoq; fient æqualia. 3 Et si ab æqualibus æqualia auferantur, quæ relinquuntur erunt æqualia. 4 Et si ab inæqualibus æqualia demas, quæ relinquuntur erunt inæqualia. 5 Et si inæqualibus æqualia addas, ipsa quoq; fient inæqualia. 6 Si fuerint duæ res uni duplices, ipsæ sibi inuicem erunt æquales. 7 Si fuerint duæ res quarum utraq; unius eiusdem fuerit dimidium, utraq; erit æqualis alteri.

8 Si aliqua res alicui superponatur, appliceturq; ei, nec excedat altera alteram, ille sibi inuicem erunt æquales. 9 Omne totum, est maius sua parte.

CAMPANVS. Sciendum est autem, quod præter has communes animi conceptiones, siue communes sententias, multas alias quæ numero sunt incomprehensibiles, prætermisit Euclides: quarum, hæc est una. Si duæ quantitates æquales, ad quamlibet tertiam eiusdem generis comparantur: simul erunt ambæ illa tertia, aut æque maiores, aut æque minores, aut simul æquales. Item alia. Quanta est aliqua quantitas ad quamlibet aliam eiusdem generis, tantam esse quamlibet tertiam ad aliquam quartam eiusdem generis. In quantitatibus continuis hoc uniuersaliter uerum est, siue antecedentes maiores fuerint consequentibus, siue minores: magnitudo enim decrescit in infinitum: in numeris autem, non sic. Sed si fuerit primus submultiplex secundi, erit quilibet tertius æque submultiplex alicuius quarti: quoniam numerus crescit in infinitum, sicut magnitudo in infinitum minuitur.